



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Caput XXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

CAPUT XXIII.

De statu ariditatis ac derelictionis.

Sicut nemo est, cui in hoc mundo tam prosperè cedant omnia, quin aliquâ quandoque oppugnetur adversitate: ita nemo est, qui in oratione continuò suavitatibus & consolationibus cœlestibus perfruatur, quin aliquando ariditates experiatur ac derelictiones.

Ariditatem vocamus certum quendam statum, in quo animus ad id lassitudine, fastidio, ac sterilitate afficitur, ut nulli prorsus cogitationi bonæ intendere queat. *Definitiones:*

Derelictionem appellamus, quando Deus animam videtur deserere ac derelinquere sine lumine aut apertione, sine gustu aut affectu, sine devotione sensibili aut satisfactione: quasi destituta esset omni cogitatione aut attentione rerum divinarum; ut proinde totum, quod facere potest, consistat in eo, ut patiarur & coram divina Majestate sua consistat, quasi nec vitam haberet neque actionem. Ariditatis & derelictionis status quoad molestias perquam simillimi sunt. Quocirca de utroque simul eadem operâ agemus; nascuntur tamen ex causis diversis, quia ariditas procedit à nobis ipsis nostraque infirmitate: at derelictio expressiùs nobis immittitur à Deo pro nostra probatione, esto etiam non commiserimus defectus, qui pœnam hanc particularem promereantur.

*De
atione*

Anima in hoc statu constituta multum conturbatur, speciatim initio suæ conversionis, non raro supra modum atque omnino inconsolabiliter affligitur, cum cuncta inclinata ac desperata existimet, atque à Deo se credat odio haberi, cum ab ipso à conspectu suo rejiciatur; ad quod ubi sese reflectit, præteritasque recordatur delicias, quando nimirum montes ei stillabant dulcedinem, & colles lac & mel, aliud facere nequit, nisi gemere, atque etiam quandoque infelicitatem suam amarè deffere. Interea cœlum ei æneum, ipsaque regionem habitare ferream videtur. Exponemus igitur primò causas ac remedia ariditatis. deinde quomodo in illa nos habere debeamus. Ac tertio monita aliqua magni momenti hunc statum concernentia suggeremus.

*Causa ac remedia Ariditatis
spiritualis.*

I. **A**riditas ergo accidit primò in *pœnam* nostrarum priorum *evagationum* atq; *immortificationum*. Jure enim merito à nobis recedit Spiritus sanctus, ubi sensibus nostris nimiam indulsumus libertatem curiosa respiciendi, extra tempus colloquendi, proloquendi nugas ac facetias, similesque committendi defectus. Remedium aliud non est, nisi ut omnes hasce immoderationes atque errationes fidei cordis nostri observantiâ, atq; ad nosmetiplos attentione rescindamus.

2. Nascitur ex immoderata *solicitudine* ac *multiplicitate* circa res exteriores, quas facimus, tamen si illæ etiam ab obedientia nobis sint deman-

demandatæ. Cor etenim nostrum faciliùs recipit impressionem illius, quod amat, ac de quo anxie sollicitum est.

Impressio autem, quam in illo causant res exteriores, multum obstat receptioni emotionis divinæ. Remedium erit, ut ardorem ac naturalem temperes activitatem, connitendo, ut res facias absque adhæsione, atque simpliciter coram Deo, semper paratus ad illas, ubi placuerit superioribus, dimittendas, caveasque de cordi tuo ipsæ dominantur, cogitando frequenter, majoris momenti negotium, quod nobis in Religione curandum est, esse orationem, cui nullam ob rem, quæcumque illa sit, præbere debemus impedimentum.

Ariditas tertiò quandoque procedit *ex revolutione humorum corporis*, temporis, sive aëris mutatione, aliisque occasionibus aut naturalibus indispositionibus. Hoc in casu remedium efficacius non est, quàm ut humiliter & patienter coram Deo hanc molestiam feras ac subinde actus interiores, in modum orationum jaculatoriarum elicias, quantum vis id fiat absque ullo gustu aut affectu.

Quisquis ariditatem experitur, neq; tamen ullam ex istis tribus causis deprehendit, credere debet, esse Deum, qui illam immittit ob finem aliquem particularem: sive videlicet ut nostrâ probe fidelitatem; sive ut nos emundet à prelationibus ac satisfactionib⁹ propriis, quib⁹ non rarò in exercitiis nostris spiritualibus afficimur; sive ut nos doceat ei servire nudâ fide & puro corde non quæ sua sunt quærente; sive deniq; ut nobis comonstret per hanc subtractionem,

De
atione

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Pf. 21. 1.

devotionem illam, quam aliquando sentimus, non procedere à nobismetipsis, vel à nostra industria, sed ab ipso solo. His autem in casibus non amplius vocatur ariditas, sed derelictio Dei, sicut dereliquit, Salvatorem nostrum in cruce.

Negativa.

Derelictionem illam duobus modis experimur; quandoque enim aliud nihil est, nisi quaedam *impotentia* agendi, quæ facit, ut quis propositam materiam exordiri nequeat, quacumque ex parte illam respiciat, ac penè nullus super sit usus potentiarum, quasi anima in corpore extincta foret.

Positiva.

Quandoque verò ulterius progressa miserimum animum in permagnam conjicit tristitiam, fastidium ac penè desperationem. Molestiam hanc auget metus, quem quis habet, ne fortè à gratia Dei exciderit: Ideoque facile quis sibi persuadet, illam derelictionem esse æternæ reprobationis præjudicium, atque hinc ordinariè initium sumunt illi rigores, exteriores expoliationes, annihilationes, activitatis omnis suppressiones, consummationes, martyria, languores, aliæque excellentes viæ, quibus Deus animas fideliores exercet, atque ipsarum esse destructo, suum in illis constituit ac stabilit. Verùm hoc non est pro Incipientibus.

Quomodo in ariditate nos gerere debeamus.

EX iis, quæ diximus, videri potest, ariditatem aliquando nostro vitio, aliquando secus accidere. Quare ubi illam advertimus,

nos:

nosmetipsos examinare debemus, videreque, nunquid fortasse nos Deo causam dederimus, cur nos repulerit. Quod si nos peccasse deprehendimus, humiliter imploranda est misericordia, petenda venia, concipiendum propositum nos emendandi, omnesque relabendi occasiones evitandi, ac denique pro culpa hac aliqua nobis ipsis imponenda castigatio. Post hæc connitendum est orationem resumere, atque ad propositam materiam, implorato Spiritus sancti auxilio, redire.

Quod si porta semper clausa remaneat, pulsandum, ac Deus suspiriis, gemitibus atque aspirationibus continuus, etsi insipidis, etiam importunè, rogandus erit. Quod si hoc non sufficiat, fieri poterit oratio mixta, recitari aliquot versus Psalmorum, pronunciari, atque animo sæpius repeti sententia aliqua Evangelii, connitendo bonum aliquem affectum subnectere. Quin etiam poteris (arque hoc nonnullis utilius est) legere librum meditationum, aut alium, qui animo recolligendo inserviat. Verùm enim verò si hæc omnia non succedant, magnâ cum humilitate ac resignatione pati debes statum istum, offerendo illum Deo, tanquam æquam defectuum tuorum castigationem; ac dicendo: „ Domine quantum hac in re deliqui, doleo, ac veniam peto: at quantum ad justitiam tuam, quæ me castigat, aut providentiam tuam, quæ me exercet, me resigno, & cruci huic, sicut, & quantum tibi placuerit, submitto.

Quod si ex parte nostra defectum nullum recognoscimus, nihilominus firmiter persuasura

De
oratione

sum

sum habebimus, magnâ cum justitiâ atque æquitate nos à Deo ob præterita peccata nostra puniri, omninòque æquitati consentaneum esse, ut eum erga nos rigorem exerceat, postquam ei toties ingrati, perduelles atque inobedientes extitimus. Existimabimus præterea, id quod certissimum est, orationem bonam non esse cum hoc statu incompatibilem. Neque enim illa consistit in eo, quod quis habeat plures bonas cogitationes, aut multos producat affectus; verùm bona oratio ea est, quæ nos addicit & subjicit statui illi, in quo nos Deus vult, & in quo debemus esse, ut fiat quod Deus vult, non quod nos volumus. Vult autem Deus, ut pro tunc simus aridi, atque ut nostrâ ipsum honoremus patientiâ; oratio ergo nostra pro tunc esse debet ista: *Domine quod tu vis ut sim, hoc etiam ego volo.* Et quisquis hac in re fidelis extiterit, quandoque facilius assequetur finem, quem spectat oratio, illis, qui magnâ perfruuntur in orando facilitate: Potentia quippe Dei non reducit ad habendâ unam dumtaxat viam, atq; unicû animas nostras ad intimam amoris cum divina sua Majestate unionem perducendi modum. Ex quo fit, ut si fideles fuerimus in ipso sequendo, visuri simus intra non multum temporis maximos progressus, quia ubi uno se modo nobis subtraxerit, altero abundantissimè se communicabit, atque ubi nos videtur derelinquere, nos maximè sustinet, atque in nobis agit, modo quidem imperceptibili, reali tamen ac vero. Quod si quæras quid? respondebimus, ab ipso nobis dari illas gratias omnes, quas in
 statu

statu fervoris poscendo obtinu ssemus, imò quandoque longè ampliores: amplior enim labor ampliore n quoque videtur promereri mercedem. Multò autem laboriosius est ac molestius unam horam genibus flexis sine devotione, quam duas cum suavitate & consolatione perdurare.

Hæc sufficere debuissent; at quoniam complures sunt, qui hocce in statu animo deficiunt, imò & orationem prorsus relinquunt, existimantes illi impensum tempus petire, tria pro illis hic subjiciemus documenta,

Primum est, ut firmiter credant, hunc molestiæ ac tolerantiaæ statum esse à Deo. non minus ac statum suavitatis, siue ipsi defectibus suis illum provocaverint, siue ipse pro sola sua providentia sic ordinârit. *Tuus est dies & tua est* Ps. 78. 16. *nox*, inquebat Psaltes; quali diceret: Deus æquè fecit noctem tenebrarum harum, ac diem consolationum. *Sicut tenebræ ejus, ita &* Ps. 118. 12. *lumen ejus*, inquebat alibi; id est negotia perfectionis nostræ procurat per tenebras ac per lucem. Hæc in firma fide fervens atque animosus Religiosus à divina Majestate sua petat gratiam statum hunc constanter tolerandi, eo modo, quo ipse desiderat: hoc est 1. tanquam pœnam suorum peccatorum. 2. tanquam participationem & communionem agoniarum ac derelictionum Salvatoris nostri. Ac 3. tanquam sacrificium, in quo suum esse proprium videtur annihilatum, cogitationes omnes ita absorptæ, ut ne unicam habere possit bonam, cor denique æstu atque igne istius ariditatis omninò adustum.

Alte-

De
oratione

Alterum documentum erit, ut humiliter in hunc statum consentiant, voluntariè ipsum ingrediantur, atque omnia, quæ Deo placuerit de ipsis atque in ipsis facere, approbent, producendo, si possint, subinde aliquos actus patientiæ ac resignationis. Quod si nequeant, saltem fortiter & constanter illic se contineant, connitendo, ut Deum suâ impotentiâ atque inutilitate glorificent, atque intra semetipsos dicendo: „Credo me videri à Deo, illum, ego honorabo ac benedicam in omni tempore; quod si glorificare ipsum nequeam, agendo, patiendo glorificabo. Et quidquid demum eveniat, à sancta illius præsentia me, nunquam avocari permittam. „

Tertium documentum erit, ut in hoc statu magnâ cum constantiâ perseverent, quamdiu placuerit Deo in ipso illos relinquere, certi servire ipsi purè ac sine recompensatione, divinæ suæ Majestati nudâ ac simplici fide adherendo, juxta id quod ait Scriptura: *Justus ex fide vivit*, quasi sola fides, qua credit Deum esse, atque ab ipso se videri, sufficeret ei, ut quovis in casu immobilis perseveret. Quod si & ipsa cogitatio hæc suppressa fuerit, nil refert, nihilominus propter amorem Dei illic hærendum erit, tamen si illic esses instar trunci, neque aliud ageres, quam quod crucifixum intuereris.

S. Macharius aliquando à quibusdam Fratribus rogatus modum, quo se gerere deberent in oratione, illis respondit, pluribus loqui non esse necesse, sed solummodo dicendum: *Domine sicut vis & scis miserere mei*, ac deinde super-

superaddidit : quod si non fruimur pace, satis esse dicere : *Domine adjuva me.*

Maximè verò animum despondere non debemus, & quamvis sentire nos oporteat molestiam, quia nisi sentiretur, molestia minimè foret, attamen inquietos inde nos reddi non convenit, multo minus molestiâ illâ absorberi atque immergi. Salvator etenim noster istum molestiæ statum summâ suâ in cruce derelictione, non secus ac statum consolationis suâ in Thaboris monte transfiguratione sanctificavit. Aequaliter igitur amare atque amplecti debemus utrumque, persuasumque nobis habere, res nostras prosperè succedere, si utroque in casu æquè simus fideles. Quò ut pertinamus, sequentia ut monita observemus necesse erit.

Monita pro statu ariditatis.

Primum erit, ut aquam de petra, oleum- *Monitum primum.*
que de saxo durissimo violenter educere minimè velimus. Hoc est, ut non velimus violenter haurire bonas cogitationes, aut ex fundo hoc sterili, sicco atque arido elicere bonos affectus; id enim qui conniteretur, frustra sibi caput obtunderet, quia Deus hujusmodi cogitationes & affectus concedere renuit, quin potius è contratio vult, ut pro tunc anima maneat illis omninò orbata. Optimum igitur factu erit, ut contenti simus eo, quod vult Deus, atque in illius præsentia quietè consistamus, miserum statum nostrum illi humiliter ac simpliciter commonstrando ac dicendo; *Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Ps. 142. 6.*
Neque

De
atione

Neque sanè hic opus est multis cogitationibus, aut sermonibus, sed ut illas conitamus habere dispositiones, quas à nobis Deus requirit. Sermones enim ac verba non serviunt, nisi exprimendis cogitationibus; cogitationes verò non serviunt, nisi exprimendo fundo & dispositioni animæ. At verò utraque cognoscit Deus, utpote qui intima cordis penetrat, ac proinde ubi anima bene disposita fuerit, necesse non est, hoc ei sive verbo sive cogitatione significare, ut sciat: sufficit ergo pro tunc, ut ei se præsentem exhibeat, quia status ac dispositio ipsius loquuntur & orant, quin aliâ quavis re opus sit.

*Alterum
monitum.*

Alterum monitum erit, ut ex altera parte caveamus, ne indifferenter ac negligenter omnis generis cogitationibus indulgeamus, hoc prætextu, quod cum Deo occupare nos nequeamus: vult etenim Deus, ut anima hoc in statu æquè atque in aliis ei placere contendat. Animadvertere igitur anima debet, & considerare, totam orationis horam consecratam esse Deo, conitque idcirco, ut meliori, quo potest, modo, juxta supra præscriptas normas, illam expendat. Et verò cui voluntas bona est, facile inveniet, qua ratione horam illam transigere queat fructuosè, etsi aliud non faceret, quam quod recitaret vocaliter aliquos Psalmos, atque in fine renovaret bonum propositum, quicum cœpit orationem, dicendo:
 „ Domine sicut vis, ita fiat, multum saltem
 „ est quod divina Majestas tua me in sua præ-
 „ sentia perferat, neque totaliter me privet
 „ felicitate, quæ consistit in eo, quod quis
 eandem

„ eandem Majestatem glorificet , quia æquè
 „ patiendo id facere queo atque agendo. „ Id
 quod consideratione atque animadversione
 dignissimum est , tam pro simplicium con-
 solatione , quàm pro confusione negligenti-
 um , ille enim optimum sanè orationis Ma-
 gistrum ac Directorem habet , qui bonam
 habet voluntatem in illa glorificandi Deum,
 atque illi satisfaciendi.

Denique summopere cavendum est , ne a *Monitum*
 ditum concedamus tristitiæ , impatientiæ , ac *tertium.*
 cujusquam rei bene faciendæ desperationi,
 unde sequeretur totalis exercitiorum spiri-
 tualium derelictio. E contrario gaudendum
 nobis est , quod occasionem inveniamus a deo
 faventem contestandi Deo , quantum ipsum
 diligamus. Evidens enim signum amoris for-
 tis suoque minimè studentis commodo est , ei
 servire absque consolatione ; verùm & mer-
 ces abundantior erit. Etenim servus qui cœ-
 lo nubilo, pluvioque in vinea Domini sui la-
 borare potè pergit , multò ampliùs meretur
 illo , qui cœlo dumtaxat sereno laborat ; ita
 prorsus agitur circa laborem orationis , in
 quo proinde solari nos debemus eâ fide cer-
 tissimâ , fore videlicet , ut molestiam no-
 stram fructus ingens excipiat. Quod si verò
 molestia ista in semetipsa nobis displiceat,
 saltem placere nobis debet ex
 eo, quod à Deo pro-
 cedat.